

c. *Ex parte*, n. 19, h. t. et alii, et concordant dicta superius, n. 10.

42. *Tamen rector principalis eo invito nequit curam animarum in illa exercere. Quæ circa talem Ecclesiam pertineant ad rectorem principalem?* — Quia vero penes vicarium perpetuum residet exercitium curæ, non autem penes rectorem Ecclesiæ; hinc iste non potest ibi exercere curam fori pœnitentialis. Abbas, ubi supra, cit. n. 15. Neque potest rector principalis invito vicario illi Ecclesiæ deservire, seu sacramenta administrare. Rebuffus, in *Praxi benefic.*, *De Vicariis perpetuis*, n. 4; Franchedinus, consil. 99; Barbosa, cit. lib. III, *Jur. Eccles. univ.*, cap. VI, num. 31, et part. 1, *de Offic. parochi*, cap. I, num. 56, 57 et seqq., post Rotam, *In Barchinonensis vicariæ*, 17 maii 1624, coram Merlino, et alios. Nam tota cura actualis vicario commissa est: ad rectorem principalem vero solum spectat cura in habitu, atque exercitium juris parochialis in pertinentibus ad externam defensionem, vindicationem, et forum contentiosum, atque ad fabricæ reparationem, saltem si is majorem reddituum partem accipiat. Layman, in cit. c. *Ad hæc*, n. 2, h. t.

43. *Rectore principali mortuo, non expirat officium vicarii perpetui. Solvitur instantia.* — Porro, quia talis vicarius constituitur perpetuus, hinc ulterius colligitur, quod mortuo rectore principali non expiret officium ejus, arg. cit. c. *Ad hæc*, num. 3, h. t. Nec obstat, quod alioquin extincta, vel suspensa potestate principalis, vicarius ejus amplius ministrare non possit, sed ejus officium pariter expiret, aut suspendatur, ut in Clem. ult. *de Procurat.*, juncta Glossa, fin., ibid. Nam hoc procedit in vicario temporalis, seu voluntario, quem quis propter occupationes vel alias causas, ad tempus sibi constituit: secus est in vicario perpetuo, qui auctoritatem suam recipit a superiore, seu auctoritate canonis, estque intitulatus. Abbas, loc. cit., n. 14; Fagnanus, c. *Exposuisti*, n. 40, *de Præbend.*, et alii.

44. *In vicarium, præsertim perpetuum, quandoque transfertur tota cura.* — Cæterum allata conclusio procedit dumtaxat regulariter: nam quod interdum in vicarium, præsertim perpetuum, non solum actualis cura, seu exercitium ejus, sed etiam habitualis, et sic tota transferatur, refert Barbosa, cit. cap. VI, n. 34. Concordat Fagnanus, in c. *Ex parte*, n. 19, h. t., ubi inquit, quod vicarii perpetui, in quos tota animarum cura translata est, ha-

beant curam non solum in exercitio, sed etiam in habitu; quamvis adhuc proprie non dicantur rectores Ecclesiarum, sed tantummodo rectores curæ animarum.

45. *Vicarii temporales proprie non sunt beneficiarii.* — Quæritur IV. Quid dicendum de vicariis temporalibus? Resp. I. Vicarii temporales, vere et proprie non sunt beneficiarii. Ita communis; atque desumitur ex c. *Pervenit*, 28, *de Appellat.*, et c. *Cum ex eo*, 34, *de Election.*, in 6, et Clem. un., h. t., juncta Glossa, ibid., *Perpetuis*, cum similibus. Ratio est: quia vicarii temporales, et ad nutum amovibiles, nullum habent titulum in beneficio, neque in eo investiantur: et, licet ipsis demandetur cura animarum, totumque officium rectoris Ecclesiæ, neutiquam tamen habent jus curæ, sed solummodo actum, et functionem, seu administrationem ipsius; jus curæ autem, seu jus in re respectu ipsius, remanet penes rectorem. Azorius, part. II, lib. III, cap. VI, quæst. 5, et alii.

46. *Habentque se ad instar mercenariorum.* — Atque hinc fit, quod mortuo vicario temporalis non vacet beneficium ex ejus obitu; quia nimirum finitur dumtaxat munus, et administratio ipsius. Unde nec vicaria temporalis inter beneficia ecclesiastica computatur, neque ea, quæ quoad vicarios perpetuos in jure habentur statuta, extendere licet ad vicarios temporales. Quinimo hujusmodi vicarii, et ad nutum amovibiles, habent se ad instar mercenariorum, qui ab Ecclesiis prælatis, seu beneficiariis, sub assignatione congrui stipendii, ad tempus assumuntur ad adjuvandum eos in cura animarum, et aliis spiritualibus officiis, quibus ex debilitate corporis, nimia occupatione, aut alia justa de causa per seipsos satisfacere non possunt. Summa angelica, *Perpetuis*, num. 5; Barbosa, cit. lib. III, *Jur. Eccles. univ.*, cap. VI, num. 57 et seqq.

47. *Generatim loquendo, justa causa excusans clericum a personali servitio, sufficit ad constituendum vicarium temporalem.* — Resp. II. Generatim loquendo justa causa excusans clericum a personali servitio, sufficit ad constituendum vicarium temporalem, qui sub congruo stipendio in cura animarum, atque aliis spiritualibus functionibus, vices ipsius suppleat: dummodo non sit necesse constituere vicarium perpetuum. Ita in re communis; et ratio est: quia, si tunc non liceret vicarium constituere, negligenter cura animarum, ac divinum officium in Ecclesia penitus inter-

mitteretur; quod neutiquam est licitum. Idem probatur inductione.

48. *Ut si beneficium simplex sit perpetuum unitum alteri.* — Sic imprimis in beneficiis simplicibus, quæ perpetuo sunt unita alteri beneficio, non solet constitui vicarius perpetuus; juxta Glossam, in Clem. un., *Perpetuis*, et doctores, ibid., h. t.; Rebuffus, in *Praxi benefic.*, tit. *de Vicariis perpetuis*, n. 5; Geminianum, consil. 86, in causa Traject. et alios. Unde, ne cultus divinus negligatur, oportet, ac sufficit eidem per vicarium temporalem deservire, cum rector ipsius in servitio principalis beneficii occupetur, ut in simili habetur, can. *Et temporis*, 16, q. 1.

49. *Vel beneficiarius ex legitima causa absit.* — Deinde, quando beneficiarius ex legitima causa, ut puta ratione itineris ad Sedem Apostolicam arrepti, vel ratione studiorum abest, tunc interim oportet constituere vicarium temporalem supplementem vices ipsius; ut habetur, c. *Pervenit*, 38, *de Appellat.*, et c. *Cum eo*, *de Election.*, in 6, et concilio Trident., sess. 23, cap. 1, *de Reform.*

50. *Aut Ecclesia vacet, etc.* — Rursus idoneus vicarius temporalis est constituendus, quando Ecclesia vel per obitum, vel per resignationem vacat, donec eidem de alio rectore provideatur; ut c. *Cum vos*, 4, *de Offic. judic. ordin.*, et concil. Trident., sess. 24, cap. XVIII, *de Reform.* Idemque procedit, quando rector Ecclesiæ vel ob multitudinem negotiorum, vel ob debilitatem, aut aliam causam, per seipsum sufficienter deservire non potest, ideoque vicarii opera indiget; prout amplius ostendit Azorius, part. II, lib. III, cap. VI, q. 3.

51. *Vicariorum temporalium nominatio, et approbatio, ad quem pertineat?* — Resp. III. Nominatio vicariorum temporalium pertinet ad rectorem principalem, puta, ad prælatum monasterii, cui beneficium unitum est. Episcopus autem solummodo ipsum admittit, seu approbat, et licentiam administrandi sacramenta, curamque animarum exercendi impertitur, postquam prævio examine repererit vicarium idoneum; nec ulla aliqua requiritur collatio, vel institutio. Ita Nicol. Garcias, part. I, *de Benefic.*, cap. II, n. 93, citans declarationem sacre Congregationis concilii; Barbosa, d., cap. VI, n. 63, cum aliis. Concordat concilium Trident., sess. 23, cap. 1, *de Reform.*, ubi decrevit, quod, si curati inferiores ex legitima causa a abesse contingerit, vicarium idoneum, ab ipso ordinario

approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquunt. » Idem ergo dicendum in aliis similibus casibus.

52. *Num ad modicum tempus possit parochus constituere talem vicarium absque licentia episcopi?* — Atque hoc vel maxime procedit, quando longiori tempore officium vicarii temporalis est duraturum. Nam, quod propter necessarium impedimentum, et ad modicum tempus, possit parochus, seu alius curatus, pro adjutorio in cura animarum vicarium, cæteroquin idoneum, sua auctoritate, et absque alia licentia episcopi sibi constituere, dummodo hoc non prohibeatur statuto episcopali, vel synodali, colligitur ex can. *Illud*, et can. *Nihil*, 7, q. 1, ac tradit Summa angelica, *Perpetuis*, n. 5; Rebuffus, in *Praxi benefic.*, tit. *Dispensatio de non residendo*, n. 14; Pirhing, h. t., n. 21, et alii.

53. *Vicarius nequit substituere alium vicarium.* — Quæritur V. Utrum vicarius possit substituere alium vicarium? Resp. negative; prout habetur expressum in c. *Clericos*, 4, h. t., addita illa causa: « Cum id satis sit absonum, et absurdum. » Et merito: tum quia in vicario censetur electa industria personæ, ut serviat loco principalis rectoris; tum quia alioquin sequeretur infinitas, si unus vicarius posset substituere alium, et hic tertium, et sic deinceps; atqui infinitas reprobat in jure, ut c. *Cum in multis*, juncta Glossa, *Multis*, *de Rescriptis*, in 6.

54. *Limitatur hoc in pluribus casibus.* — Verum allata conclusio plures patitur limitationes. Nam imprimis vicarius perpetuus, licet non possit sibi substituere alium vicarium perpetuum (nequit enim idem titulus vicariæ ad duos in solidum spectare) potest tamen ex justa causa, et ad modicum tempus, substituere vicarium temporalem, committendo ipsi totum officium et administrationem suam. Abbas, in d. c. *Clericos*, n. 2, h. t.; post Hostiensem, et Layman, ibid., n. 1; Summa angelica, cit. *Perpetuis*, n. 4, allegans communem.

55. *Limitatur hoc in pluribus casibus.* — Deinde vicarius temporalis, licet proprio jure nullatenus possit sibi substituere alium vicarium, cum titulum non habeat; potest tamen de licentia ordinarii, tacita vel expressa, sicque auctoritate ipsius, alium sibi substituere, committendo ipsi ad breve tempus totum officium, seu curam suam.

56. *Limitatur hoc in pluribus casibus.* — Insuper, quando vicarius temporalis non suf-

feit solus ad omnia onera parochialia peragenda, potest is cooperatorem assumere, eique partem sui officii delegare: sicut in simili delegatus ad universitatem causarum, potest unam, vel alteram causam alteri subdelegare, juxta Glossam, *Cum causam*, §. *Delegatus, de Appellat.*, et doctores passim. Abbas, Layman, ubi supra, et alii.

57. *An vicarius generalis episcopi possit substituere alium vicarium?* — Atque hoc ipsum extenditur ad vicarium jurisdictionis, seu vicarium generalem episcopi: nam etiam talis nequit substituere alium vicarium, nisi de speciali licentia episcopi, atque ex justa causa, simulque ad modicum dumtaxat tempus id fiat; quamvis possit unam, vel alteram causam alteri delegare. Glossa, in cap. I, §. *Ipsius*, h. t., in 6; Barbosa, part. III, de *Offic. et potest. Episcopi*, allegat. 54, n. 99 et seqq., citans plurimos alios.

§ III.

DE VICARIO GENERALI EPISCOPI, ET CAPITULI SEDE VACANTE, AC UTRUSQUE CONSTITUTIONE.

58. *Vicarii generalis nomine, quis intelligatur?* — Quod nomine *Vicarii generalis* intelligatur ille, qui constitutus est ab episcopo cum generali potestate, ut ejus vices gerat in eodem loco, in quo ipse sedem habet, ac jus dicere solet, patet ex dictis supra, § 1, n. 46 et seqq., ubi etiam multiplex differentia vicarii generalis a vicario foraneo episcopi illiusque dignitas præ cæteris, sufficienter est declarata. Unde suppositis illis

59. *In vicarium generalem, et officialem episcopi, an sit discrimen? Proponitur ratio dubitandi, et affirmativam tenendi.* — Quæritur I. Utrum sit discrimen inter vicarium generalem, et officialem episcopi? Ratio dubitandi, et affirmativam tenendi, desumitur ex cap. ult., h. t., in 6, ubi hæc duo ponuntur tanquam diversa, illis verbis: « Officialis, aut vicarius generalis episcopi: » nam dictio *Aut* proprie est disjunctiva, imo et adversativa, sicque ponitur inter diversa. Barbosa, *Diction*, 46, n. 1 et 6, cum aliis. Concordat concilium Trident., sess. 24, cap. XVI, de *Reform.* pariter hæc duo verba veluti diversa ponens, ibi: « Item officialem, seu vicarium, » etc.

60. *Solvitur hæc questio.* — Resp. I. Etsi nonnulla possit notari differentia inter vicarium generalem, et officialem episcopi, nihilominus hæc duo vocabula in iure canonico

solent accipi pro eodem. Ita Glossa, in *Clem., Etsi principalis*, §. *Officialis, de Rescript.*; Federicus de Senis, consil. 302, n. 4 et seqq.; card. Tusehus, litt. V, concl. 183, n. 6; Barbosa, part. III, de *Offic. et potest. episc.*, allegat. 54, n. 25, et alii. Ratio prioris partis est: quia nomen *Officialis* latius patet, quam *Vicarii generalis*: illud enim convenit etiam vicario foraneo, arg. cit. *Clem. Etsi principalis*. Deinde, quidquid potest officialis, potest etiam vicarius generalis, sed non econtra; sicque majorem auctoritatem habet vicarius generalis, ut probant citati auctores.

61. *Officialis episcopi, in jure vocatur etiam vicarius generalis.* — Altera pars probatur ex c. *Cum nullus, de Temporib. ordinat.*, in 6, ubi ille ipse, qui antea dicebatur *Officialis episcopi*, paucis interjectis lineis vocatur ipsius in spiritualibus *vicarius generalis*. Atque hic ipse in c. *Dilecti*, 66, de *Appellat.*, nuncupatur *Officialis*: quamvis in c. *Statutum*, 3, de *Præbend.*, in 6, dicatur *Vicarius generalis*.

62. *Officialis in Italia, dicitur apud nos vicarius generalis.* — Addit Barbosa, cit. allegat. 54, n. 53, et in tractat. de *Appellat., de Verb. juris significat.*, appellat. 175, n. 9, et Azorius, part. II, lib. III, cap. XIII, q. 8, ac Layman, in c. *Statutum*, n. 3, de *Rescript.*, in 6, et c. *Romana*, n. 4, de *Offic. vicar.*, in 6, quod ille, qui in Italia appellatur *Officialis*, in hisce et aliis pluribus regionibus dicatur *Vicarius generalis*: ac proinde, cum ad has regiones ultramontanas litteræ Apostolicæ destinantur, juxta stylum curiæ Romanæ etiam officiali inscribantur, in hæc verba: « Dilecto filio nostro officiali Bracharensi, Frisingensi, » etc.

63. *Solvitur ratio dubitandi.* — Hinc non mirum, quod in cap. ult., h. t., in 6, ponatur ly *Officialis*, aut *Vicarius*: ut sic modus loquendi diversarum regionum apte comprehendatur. Accedit, quod dictio *Aut* quandoque accipitur expositive, seu pro ly *id est*. Barbosa, *Diction.*, 46, n. 6. Unde et concilium Trident., loc. cit. notanter inquit: « Officialem, seu Vicarium, » etc. quasi exponens, quid nomine *Officialis* intelligi velit. Et per hoc patet ad rationes dubitandi, n. 59, allatas.

64. *Episcopus, etiam absque consensu capituli, potest constituere vicarium generalem.* — Quæritur II. Quæ sit potestas episcopi constituendi vicarium generalem? Resp. I. Episcopus potest constituere vicarium generalem, et quidem solus, absque consensu vel consilio capituli. Ita Abbas, in c. *Tua nobis*, n. 4,

n. 4; Hostiensis. in *Summa*, h. t., n. 5, §. *Sed numquid*, hujus dans rationem: quia officialis censetur eadem persona cum episcopo, cap. II, de *Consuetud.*, in 6; Rebuffus, in *Praxi benefic.*, tit. de *Vicariis episcopi*, n. 4; Pirhing, h. t., n. 28, et alii. Idque præter rationem jam allatam, approbat ipsamet consuetudo, quæ in talibus est servanda, c. *Ea noscitur, De his quæ sunt a prælatis*, etc.

65. *Ac ordinarie tenetur eum constituere.* — Resp. II. Non tantum potest, sed etiam ordinarie tenetur episcopus constituere vicarium generalem. Ita Abbas, c. *Quoniam*, n. 3, de *Offic. ordinat.*, id inter alia probans ex can. *Qua in quibusdam*, dist. 89, ubi quilibet episcopus jubetur habere œconomum de proprio clero, qui una cum episcopo tractet res ecclesiasticas; qualis œconomus in can. *In nona actione*, 16, q. 7, appellatur *Vicarius episcopi*. I ipsum tradunt alii plures doctores, quos copiose allegat Barbosa, d. allegat. 54, n. 125. Siquidem propter multitudinem negotiorum episcopus, etsi diligentissimus sit, plerumque non sufficit ad omnia negotia a se solo expedienda. Simulque decet, ut sua onera partiat cum aliis, arg. c. *Ut singula, de Offic. archipresbyt.*, et c. *Mandata*, 6, de *Præsumpt.*

66. *Nisi velit et sufficiat, a se solo causas expedire.* — Additur notanter in conclusione, *ordinarie*: nam, si episcopus velit causas per se tractare, simulque sufficiat ad eas a se solo expediendas, puta quia episcopatus non est amplus, non posse ipsum cogi ad constituendum generalem vicarium, tenet Rota Romana *In una Calaguritana fructuum*, 18 martii 1583, coram Bubalo, et alias sæpius; ac tradit card. Tusehus, litt. M. concl. 69, n. 6, cum aliis, quos pro hac sententia citat Barbosa, loc. cit. Secus foret, quando episcopus vel omnino non est idoneus ad regendum, vel saltem ob molem negotiorum, aut alia impedimenta per se ipsum commode regere non potest: tunc enim ratio naturalis dictat adhibendum esse vicarium. Engel h. t. n. 9. Ac poterit ad hunc constituendum episcopus cogi per archiepiscopum. Barbosa part. I, de *Offic. et potestat., episcop.* tit. IV, num. 25, cum aliis.

67. *Potest etiam binos vicarios generales constituere.* — Resp. III. Episcopus potest etiam binos vicarios generales, æque principales, seu in solidum constituere, ut expeditioni causarum facilius consulatur. Ita Glossa in *Clem. Etsi principalis*, §. *Principalis*, et ibi Cardin. et Imola, de *Rescript.*; Rebuffus in

Praxi benefic. tit. *Forma vicariatus*, n. 203; Zerola in *Praxi episcop.* part. I, §. *Vicarius*, nu. 4; Barbosa, part. III, de *Offic. et potest. episc.* allegat. 54, n. 129, et alii. Idque desumitur ex c. *Quoniam*, 14, de *Offic. ordinat.* ibi: « Provideat viros idoneos. » Sic et alibi solent plures in eodem officio decerni, ut facilius reipublicæ consuli possit, arg. L. un. ff. de *Offic. consultis*, ubi duo consules habent jurisdictionem, et administrationem in solidum. (ADNOTATIO LXII.)

68. *Laicus in vicarium generalem eligi nequit.* — Resp. IV. In vicarium generale nequit episcopus eligere laicum: nam laicis non licet ecclesiastica tractare negotia, c. *Decernimus*, 2, de *Judiciis*. Unde, quod vicarius episcopi debeat esse clericus, saltem primæ tonsuræ, tradit Nicol. Garcias, part. V, de *Beneficiis*, cap. VIII, num. 2; Barbosa, loc. cit. n. 4, et communis aliorum.

69. *Potest tamen esse assessor judicis ecclesiastici.* — In temporalibus tamen nihil obstat, quin laicus possit esse vicarius episcopi. Barbosa, loc. cit. num. 9. Quinimo etiam in ecclesiasticis potest laicus constitui assessor judicis ecclesiastici, seu episcopi, quia assessor nullam habet jurisdictionem, L. 2. C. de *Assessorib.* Abbas c. *Decernimus*, n. 43, et ibi Hostiensis, ac doctores de *Judiciis*.

70. *Capitulum sede episcopali vacante, tenetur hodie vicarium idoneum constituere.* — Quæritur III. Qua ratione capitulum Sede vacante teneatur constituere vicarium? Resp. I. Capitulum sede episcopali vacante tenetur hodie officialem, seu vicarium idoneum, infra octo dies post mortem episcopi constituere, vel existentem confirmare: si secus factum fuerit, ejus deputatio devolvitur ad metropolitanum. Ita novissime concilium Tridentinum, sess. 24, cap. XVI, de *Reform.* cujus verba quoad propositum valde sunt ponderanda, et sic sonant: « Capitulum sede vacante — officialem, seu vicarium, infra octo dies post mortem episcopi, constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus: si secus factum fuerit, ad metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur, » etc.

71. *Secus spectato jure communi, et ante concilium Tridentinum.* — Dicitur notanter, « tenetur hodie. » Nam spectato jure communi, seu ante concilium Tridentinum, ca-